K

Johannes dei gratia episcopus Curiensis. Ad rei memoriam sempiternam. Inter ceteras pastoralis nostre curas quibus cor nostrum cottidiana sollicitudine
pro nostrorum subditorum salute distrahitur, aciem mentis nostre convertimus, qualiter fidelium nostrorum fidelitatis obsequia piis recompensemus desideriis ac liber-
tates eorum continuis benignitatis favoribus foveamus. Sane pro parte fidelium nostrorum consiliarium et communitatis vallis Postclavii et de Brusis
nobis nuper oblata supplex petitio continebat, quatenus sibi et successoribus suis privilegia libertates pacta et conventa per bone memorie domini Hartmanni
predecessoris nostri eis concessa et habita inter eos gratiosius approbare et confirmare dignaremur. Nos igitur prefatorum consulum et communitatis fidelitatis
studia ac virtutum merita, quibus nostram ecclesiam hactenus consueverunt devote venerari, debita consideratione pensantes, ipsorum supplicationibus favorabiliter
inclinati, eisdem consulibus et communitati successoribusque eorundem imperpetuum pro nobis et nostris successoribus episcopis Curiensibus universa et singula pri-
vilegia litteras libertates gratias immunitates iura indulta pacta et conventa que seu quas a dicto predecessore nostro optinuerunt, in omnibus suis ar-
ticulis contentis tenoribus sensibus punctis et clausulis de verbo ad verbum prout scripta seu scripte sunt, ac si tenores eorum presentibus specifice forent
inserti et si de quibus de iure aut consuetudine mentio fieri deberet specialis, deliberato et maturo prehabito consilio et ex certa nostra scientia approbamus
ratificamus innovamus et auctorisamus. Volentes et declarantes nos successoresque nostros ad observantiam eorum premissorum inviolabiliter et imperpetuum
obligari, nisi dicti consules et communitas, quod absit, aliqualiter obviarent contra continentia conventorum pactorumve premissorum. In quorum omnium et singulorum evidens
robur et testimonium sigillum nostrum episcopale presentibus duximus appendendum. Datum et actum Curie anno domini M°CCCC°XVIII°, sexta die mensis septembris,
indictione undecima.



© Bischöfliches Archiv Chur (Schweiz)